

Nr 27, 28. fehlt!

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
 DE
**SALVBRITATE
 HAEMORRHAGIARVM
 IN MITIGANDIS DELIRIIS**

QVAM
 DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
 ET
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV
 P R A E S I D E
 VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO
 SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
 POTENTISSIMO PRUSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
 MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
 IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
 ET COMITE PALAT. CAESAREO,
 FACVLT. MEDICAE ET PHILOSOPH. H. T. DECANO,

PRO GRADV DOCTORIS
 SVM MISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
 LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,
 AD D. XVII. APRIL. A. S. R. C¹CCLVI.
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
 PVBLICE DEFENDET
 AVCTOR
ANDREAS SIMON SCHAAF
 ISLEBIENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

11
DISSECTATIO IN VAGINAE
DE
SALVIRIATE
HARMORRHAGIARUM
IN MIGRANDIS DEIRIS

GRATIAS PRO HOMINIBUS QVI VIVIS CONSERVA
TURISTI D E
ALDO HENRIKUS TESSON ET ZERESCHIMO
D'ANNAE ET AL'D'CHIENO

SACRA DOMINI MATER NOSTRA
POTESTA ET AUREA CUSTOS IN HOC
MUNIMENTO QVI VIVIS CONSERVANDO
PROTEGENDO ET DEFENDENDO
VITAM VIVAS QVI VIVIS CONSERVANDO
PROTEGENDO ET DEFENDENDO

AD GENEVÆ DOCTORIA
SACRA DOMINI MATER NOSTRA
POTESTA ET AUREA CUSTOS IN HOC
MUNIMENTO QVI VIVIS CONSERVANDO
PROTEGENDO ET DEFENDENDO

AD GENEVÆ DOCTORIA
SACRA DOMINI MATER NOSTRA
POTESTA ET AUREA CUSTOS IN HOC
MUNIMENTO QVI VIVIS CONSERVANDO
PROTEGENDO ET DEFENDENDO



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
SALVBRITATE
HAEMORRHAGIARVM
IN MITIGANDIS DELIRIIS.

PROOEMIVM.

I
nter varias illas , quas scientia
atque experientia in arte me-
dica fistunt , contemplationes
atque obseruationes , notatu
perquam digna quaedam pra-
cipue fese commendat , quando nimis
promotione certarum haemorrhagiarum
varia

A 2

varia deliriorum genera, si non curantur, insigniter tamen mitigantur. Ad contemplationem hanc practicam occasionem mihi diuus ille Senex, HIPPocrates, suppeditat, qui Sect. VI. Aphorism. 21. inquit: *Insanientibus, si varices superueniunt, aut haemorrhoides, insaniam soluunt.* Mitigationem talem Senex noster iam in sua regione, climate, atque hominibus, inter quos vixit, expertus est, & meditationem de illis, in hoc loco, instituit. Nos eo magis huius observationis memores esse debemus, quo magis in nostris regionibus multae haemorrhagiarum species occurruunt, quibus homines ob inconsultam viuendi rationem expositi deprehenduntur, unde obseruatio haec vltiorem aliquam disquisitionem meretur. Recentiorum sane opiniones atque observationes non vnice semper & solitarie respicienda; sed etiam veterum obseruaciones simul conferenda sunt, in quantum ad nostra tempora, regiones, subiecta atque clima sunt applicandae, vt pote qua ratione etiam cognoscere possumus, quo usque & hae cum veritate conueniant, & an recentiorum

tiorum obseruationes illis, quas antiquiores consignarunt, sint praeferenda. Si igitur haemorrhagiae generatim considerantur, vtique morbis frequentius obuenientibus adnumerari debent, adeoque etiam idcirco tanto exactiorem iure quasi suo postulant considerationem, inprimis cum insignem admodumque notabilem cum aliis morbis monstrant confessionem, quam & ipse olim HIPPOCRATES aliis in locis iam denotauit, vti v. g. ex *Aphor. II. Sect. VI.* adparet, vbi inquit : *Melancholicis & nephriticis haemorrhoides superuenientes, bonum;* similemque sic de hac haemorrhagia praedicat utilitatem, qualem illi dein in supra allegato Aphorismo tribuit in deliriis. Satis frequenter obseruamus in praxi medica, qualem & quantum nexum haemorrhoides habent cum variis spasmis, vti sunt, colica, malum ischiadicum, affectus podagrici, nephritici, &c; qualem connexionem monstrant cum morbis hepatis, lienis, pectoris atque capitis; qualem nexum foueant menses & lochia cum aliis morbis, vbi saepius deprehendimus, quod idcirco puerperae

A 3

ex

ex turbato aut suppresso lochiorum fluxu
varios fonticos experiantur morbos, quos
inter iam praecipue morbos animi refiero.
Porro etiam nexus hic sese extendit ad va-
rices, in primis quoniam varicum repressio-
nes & inconsultae oppressiones saepius in
pathemata haemorrhoidalia transeunt, qua
de causa quoque WALAEVS in *Meth. med.*
Cap. 18. haemorrhoides coecas speciatim
varices venarum ani appellat, eoque ipso
simul analogiam inter varices & haemor-
rhoides indicauit. Singularis ergo hic ne-
xus, quum haud leuis omnino sit momen-
ti, ansam mihi suppeditauit ad praetitam
quandam suscipiendam tractationem, ita
quidem adornandam, ut in Specimine hoc
inaugurali, ad dictum HIPPOCRATIS, haemor-
rhagiarum nexum cum deliriis, illa-
rumque in his salubritatem pro virium im-
becilliorum modulo adumbrare decreuer-
rim. Quibus conatibus ut diuina ex alto
adspiret & clementissime benedicat gratia,
deuotissime precor vobisque.

§. I.



7

§. I.



aemorrhagiarum salubritatem in mitigandis deliriis monstraturo potissimum incumbit, ut in ipso statim lumine huius tractationis praemoneam, me omne salubritatis illius momentum vnicē fere in promotione & conseruatione legitimi haemorrhagiarum vel spontanearum vel artificialium successus positum esse existimare. Imminuant enim haemorrhagiae sanguinem superfluum, hacque ratione omnibus motibus in corpore perficiendis subueniunt, eorum praecipue nimium excessum moderando, quos inter etiam motus congettiorii versus caput tendentes, & deliria concitantes, numerari merentur, quorum mitigatione per haemorrhagias facta utique etiam deliria lenire, sive que salubritatem quandam in iisdem adferre valet. Haec vero salubritas sub dupli maxime statu & circumstantiarum conditione expectanda erit, nimirum 1) si in delirante quodam nullae antea adfuerunt haemorrhagiae, molimina vero ad easdem nunc praesto sunt, quae facile obtinendam illarum spondent promotionem & eruptionem; 2) si haemorrhagiae salutares, antea praesentes, quocunque modo suppressae fuerint, & exinde forsitan deliria prima sua initia sumiserint, quo in statu utique tanto certior, & magis praesentanea ex illarum restituzione expectanda erit salubritas.

§. II.

§. II.

Expedit autem omnino, vt prius de statu encephali illorum differamus, in quibus perturbationes facultatum animae inferiorum obseruatae fuerunt. Nam ita simul deliriorum quoque caussae proximae constabunt: quibus adeoque rite cognitis, eo facilius intellectu erit, cur & quomodo istis afflictis haemorrhagiae proficiant. Sedes vero omnis delirii in cerebro est, cuius vasa valdopere distenduntur, sanguis ibidem coaceruatus spissescit, stagnat, difficulter progressus, aut vi intensa transprimitur. *Conf. III. Dn. PRAESID. Fundam. Pathol. spec. Sect. VII. Cap. VIII.* Vnde necessum erit, vt ob tam diuersi gradus distensiones vasorum sanguineorum in encephalo nerui, modo sensorii, modo etiam motorii, diuersa ratione adficiantur. Qua de caussa phantasia varie laeditur, & partium musculosarum actiones supra modum, ut in maniacis contingit, simul intenduntur. Ex quibus igitur manifesto conficitur, fieri posse, vt omnes illae caussae ad perturbandas facultates animae inferiores & deliria efficienda concurrant, a quibus sanguinis in vasis encephali nimiae coacervationes producuntur, siue a quibus sanguis versus vasa illa congeritur. Cuius indolis istae caussae sint, nunc consideratius exponendum.

§. III.

Primum in harum caussarum numero locum occupare poterit *plethora*. Constat ex pathologicis principiis, inter effectus plethorae referendas esse disten-

distensiones vasorum. Has porro eo facilius infesti, quo tenerioris vasa sunt texturae. Iam vero Anatomicorum obseruationes luculenter monstrant, vasorum encephali tenerimam esse structuram. Nonne & ibidem facillima eorundem contingere debebit distensio? Quum in plethoricis se- & excretionum successus non sit legitimus, sed mirum in modum langueat, necessarium quoque erit plethorae maius augmentum. Aucta vero plethora eo quoque certior euenire & ad actum deduci poterit vasorum tenerioris fabricae distensio, & inde genesis caussae proximae deliriorum. Sanguis, quantum abundans, tardiori progredi debet circulo per systema vasorum, qua quidem de caussa facillimo negotio eiusdem procreabitur *spissitudo*. Sanguis spissus vero statim obstructionesque vasorum inducit, eorumque permeabilitatem imminuit; sanguis vero spissus a tergo lente licet affluens, vasa ingenitum in modum distendit, quia liberior transitus eidem denegatus est. Luce itaque meridiana clarius est, deliria a plethora oriri posse, idque eo facilius, si comitem illa habeat spissitudinem.

§. IV.

Hinc (§. ant.) ergo subiecta, ad ingenerandam sanguinis abundantiam & spissitudinem proclivia, deliriis quoque simul erunt exposita. Horum in censum referenda sunt, quae cibis & potibus nimium nutrientibus delectantur, quae, vitae addicta sedentariae, labores aut alios modos abhorrent, qui-

B

bus

bus sanguinis abundantia, tardior eiusdem per vasa progressus, & hinc sponte emergens spissitudo praecaueri possit. Referri huc merentur illa, quae vel sanguinis ventilationibus artificialibus adsuetacta easdem incuriose negligunt, vel naturalium inconsultatione admittunt & experiuntur suppressionem, in primis si causa quaedam concurrat, qua mediante maior ad encephalum determinatur sanguinis congestio.

§. V.

Plethorae & sanguinis spissitudini merito subiungimus eius motum progressuum nimis adauictum vel orgasmicum, quatenus deliriorum caussae proximae patrocinantem. Manifestat se ille praesertim in subiectis, quae pathematibus animi indulgere solent, & quae irae praesertim dedita sunt. Ut plerique animi pathemata, ita ex horum numero commotio iracunda, orgasmum sanguinis prae reliquis maiorem efficit, & sanguinem ad encephalum magis congerit. Luculenter hoc commonstrant non solum faciei rubor & inflatio, sed etiam vasorum ad tempora turgescientia & distensio. Quid vero a congestione ad vasa quaedam adauicta aliud erit expectandum, quam validissima eorundem distensio? & quid ab hac in vasibus cerebri sese exferente aliud, quam stans, eamque ob caussam deliriorum generatio? Dictis applaudunt obseruationes. Subiecta enim, quae temperamento praedita sunt cholericò, subiecta, quae immodico spirituorum abusui plane dedita sunt, facilissima quoque ratione deliriis corripuntur.

de salubritate Haemorrhag. in mitigandis deliriis. II

untur. Quid demum quoque frequentius obseruare licet, quam quod febribus acutis deliria sese plerumque adiungant. Nonne vero etiam omnibus his in casibus allegatis orgasmi sanguinis, eiusque maiores ad caput congestiones locum inueniunt? Patet itaque & huius asserti veritas.

§. VI.

Pedem nunc moueo ad aliam caussam, quae generandae & confirmandae deliriorum caussae proximae manus offert. Posita est illa in *vasorum encephali debilitate*. Vasa sanguinea, quatenus debilia, supponunt semper illorum ipsorum motum systalticum valde imminutum & languidum. Hinc fluido per eadem vehendo non cum sufficienti resistere possunt robore, sed hoc potius illorum vim contractilem longe superabit. Posita insufficiente contractione vasis cuiusdam sanguiferi, poni simul debet fluidi per illud vas vehendi motus progressius ad modum languidus. Fluidum, quod tarde mouetur, facillime lentorem & spissescientiam contrahit, eamque ob caussam facillime generandis stasibus & obstructionibus ansam praebet, prout id iam in §. III. euincere conati sumus. Nonne vero in stasibus & obstructionibus, indeque dependentibus vasorum distensionibus, caussa proxima deliriorum ponitur, quam presso pede ipsa insequuntur deliria? Abeunt in sententiam meam plurimae Medicorum obseruationes. Infantes a parentibus prognati melancholicis eidem morbo plerumque sunt expositi. Illi, qui

lucubrationibus diuturnis nimis protractis, iisque praecipue abstrusioribus sese fatigant, hacque ratione facultatibus animae inferioribus abutuntur, deliria & melancholiam incurrire solent. Manifesto itaque exinde elucet, illos debilitatem eam partium in encephalo contentarum secum connatam habere, quam hi incongruo vitae regimine sibi contraxerunt.

§. VII.

Saepe fieri deprehendimus per experientiam, quod hypochondriaci aequa ac foeminae hystericae modo in melancholiam, modo in maniam incident. Sed facile patet ratio perturbationum in facultatibus animae inferioribus, quae istic morbis accedere possunt. Tum enim ex pathologicis constat, in enarratis morbis sanguinis motum progressuum difficultem admodum esse per viscera abdominalia, idque fieri posse, vel ob sanguinis spissitudinem, vel modo dictorum viscerum obstructionem, debilitatem, vel spasticas constrictiones: quid mirum itaque, si exinde vehementissimae sanguinis restrictiones versus vas a encephali oboriantur? id quod eo magis necesse erit, si fluxus haemorrhoidalis vel menstruus quomodounque irregularis redditus fuerit, vel aliae caussae externae, ad commouendum sanguinem facientes, admissae fuerint, quales esse possunt varia pathematum animi genera, abusus spirituorum, & id genus alia. Pertinent huc quoque casus laesorum viscerum abdominalium. Videre exinde licet, quam facile caussa proxima deliriorum in corporibus

de salubritate Haemorrhag. in mitigandis deliriis. 13

bus hypochondriacorum, hysteriarum, & illorum
subiectorum, quibus viscera abdominalia deprauata
sunt, suam consequi possit existentiam.

§. VIII.

Neque silentio praetereundus erit ille casus,
quando nempe per experientiam constat, *haemorrhagias* quoque *excedentibus* phantasiae laesiones acce-
dere. Exemplo esse poterit haemorrhagia vteri.
Quoniam vero in haemorrhagiis excedentibus cor-
dis aetio languescit: necessum erit, ut motus sanguini-
nis progressius in illis potissimum vasis magis im-
minuatur, quae partim a corde longe distant, par-
tim ratione sua texture admodum tenera sunt.
Vnde ob sanguinem nimis diu in eiusmodi vasis re-
morantem, stases ibidem facile oboriantur, & vasa
ipsa distenduntur. Quibus rebus ita comparatis,
status in vasibus encephali nascitur simillimus illi, vbi
ab aliis caussis congestiones ibidem producuntur.

§. IX.

Vnius adhuc mentio iniicienda erit caussae,
determinantis caussam deliriorum proximam. Est
illa *v/sus incongruus narcoticorum*. Sectiones ana-
tomicae in cadaueribus subiectorum institutae, quae
a tam deleterii effectus medicamentis morti erant
tradita, sequentem cerebri statum edocuerunt. Va-
sa eiusdem sanguine nigerrimo distensa reperieban-
tur, & hinc inde in aliis eiusmodi subiectis sanguis
extravasatus conspiciebatur. Confirmatur hisce
phaenomenis hoc usque dictorum veritas. Appa-
ret

ret enim inde, narcotica sanguinis congestiones ad encephalum proutocasse, atque ab illis states ibidem esse determinatas & obstrukciones. Sed quem fugit, eiusmodi subiecta semper sub graui mentis alienatione vitam amittere? Conf. Dissert. sub Illustri PRAESENTE ventilata, *de genuinis Opii effectibus*, & Illustr. b. m. HOFFMANNVS, in *Med. rat. system.* Tom. IV. Cap. VIII.

§. X.

Sufficient, quae de caussis nonnullis, a quibus deliria ad actum perducuntur, iamiam exposuimus. Unusquisque facile perspiciet, dari plures adhuc posse caussas remotius ad genesis deliriorum inducendam facientes. Sed in illas prolixius inquirere, superuacaneum omnino esse arbitror. Omnes enim ac singulae in eo conueniunt, quod sanguinis afflum x iusto maiores & copiosiores efficiant ad vas a encephali, & hinc eorum distensiones non minus, quam obstrukciones producant, a quibus deinde neruorum modo motoriorum, modo sensoriorum compressiones necessario euenire debent, quibus quidem positis laesiones phantasiae, actionumque per partes musculosas possibilium varia & saepissime modum excedens intensio poni poterit.

§. XI.

Quum effectus quidam eo certius atque citius impetrari possit, quo plures validioresque caussae ad eundem obtinendum in casu obuio concurrunt: sequitur deliria quoque eo facilitiore determinatum iri

iri negotio, quo plures hoc usque recensitarum caussarum ad formandam caussam illorum proximam conspirauerint. Ponamus e. g. subiectum aliquod laborare phlethora spissa, illudque simul causam aliquam admittere, cuius ope orgasmi humorum prouocantur: nonne in eiusmodi subiecto, concurrentibus tot caussis, quarum quaelibet iam per se delirium determinare valet, quemadmodum id in superioribus iam demonstrauimus, idem eo facilius produci poterit?

§. XII.

Postquam itaque deliriorum caussam proximam rite inuestigauimus, illamque genuina comprostrauimus ratione, facillimum iam nobis erit diuidicatu, cur & quomodo haemorrhagiae respectu illorum morbi salutares dici mereantur. *Morbi enim salutaris nomine insignitur ille, qui morbum maiorem soluit, sine inde eueniente morbo maiori, quam ille fuit, qui soluendus existebat.* Applicanda itaque erit definitio haec scopo praesenti. Tuto concludere licebit, id morbum soluere, quod causam illius proximam remouet. Hoc an ab haemorrhagiis perfici possit, accuratius impraesentiarum erit perscrutandum.

§. XIII.

Deliriorum caussa proxima ponenda est in vasorum encephali distensione. Omne id itaque respectu illorum salutare dici poterit, quod distensionem modo dictorum vasorum imminuit. Fieri vero

vero id poterit per deriuantia sanguinem, ad caput maiori nisu propulsum. Sed nonne hoc perficitur beneficio haemorrhagiarum? Formalis ratio haemorrhagiarum consistit in extravasatione sanguinis. Quamprimum hanc nobis mente sistimus, simul concipienda est sanguinis imminutio ex eo loco facta, ex quo haemorrhagia contingit. Facta vero imminutione sanguinis, liberior illius & magis aequalis motus circulatorius per systema vasorum subsequi debet. Hoc vero posito, necessario congettiones ad vnum alterumque locum adauictae cessare debent. Extra omnem itaque dubitationis aleam positum erit, haemorrhagias salubritatem in mitigandis deliriis exserere, illamque satis insignem. Cauendum tamen erit, ne salubritatis haemorrhagiarum notionem plus iusto extendamus, illamque in quoibus casu obvio, & quibusunque aegrotorum circumstantiis, laudibus efferamus. Dantur enim casus, vbi reuera morbi salutares nominari minime merentur. Cuius genii vero illi fint, id nunc erit inuestigandum.

§. XIV.

Primam exceptionem efficiunt illae haemorrhagiae, quas contingere interdum obseruamus e partibus nobilioribus, a quarum laesione maius oeconomiae corporis nostri infertur detrimentum, quam ex morbo soluendo, scilicet delirio, ipsi expectandum fuisset. Dantur deliria chronica. Haec sine insigni vitae periculo per longum temporis spatium aegrotos possunt diuexare. Ponamus, hisce

hisce deliriis superuenire haemoptysin; ponamus, hanc sanguinis excretionem illa soluere. Speciem itaque salubritatis prae se ferre posset profluuium hocce sanguinis. Num vero iure meritoque salutare nuncupari poterit? Minime! Notio enim morbi salutaris postulat, ut non solum morbus soluendus maior sit morbo soluente, sed etiam, ut a solutione morbi maioris nullus corpori ingeneretur status, quo mediante maiora damna exspectari possunt & debent, quam antea sperari poterant. Sed nonne haemoptysis in casu dato, ut morbus soluens, maior & periculosior est soluendo? in primis quum facile ad excessum inclinet. Nonne ab hac incommoda & derimenta in corpus aegroti redundare possunt pessima, vitaeque ipsi infensissima? Pater itaque, exceptionem hancc primam omnino esse legitimam.

§. XV.

Progrediamur ad alteram. Nomen morbi salutaris respectu deliriorum porro perdere possunt haemorrhagiae, si, licet ex partibus corporis nostri ignobilioribus contingent, efferae tamen sint, atque modum excedant. Haemorrhagiae excedentes, ut in §. VIII. iam iam docuimus, causam proximam deliriorum determinare possunt; ex qua ratione vero hoc facere valeant, id iam hoc loco repetere superfluum esse arbitramur. Sufficit, exinde colligi posse, id salutare non esse vocandum, respectu alterius

18 *Dissertatio inauguralis medica,*

rius morbi, quod eundem morbum ad existentiam perducere valet.

§. XVI.

Salutares itaque iure quasi suo nominari poterunt haemorrhagiae respectu deliriorum, quatenus non solum ex locis congruis succedunt, sed etiam sanguinis quantitatem sufficientem quidem foras emittunt, in excessu vero non peccant, easque ob caussas non alii cuidam eique grauiori, quam ipsa deliria fuerunt, morbo ansam praebent. Quilibet exinde facilime colligere potest, haemorrhagias salubritatem suam in mitigandis deliriis exercere posse, partim si antea non adfuerint in subiecto quodam, se vero iam praesentibus deliriis prima vice manifestent; partim si ad perruptiōnē eo tempore deueniant, antea vero ad aliquod temporis spatium suppressae fuerint. Porro ex dictis intelligere possumus, quales illae sint haemorrhagiae, quae in numerum salubrium referri mereantur. Huc nempe pertinebunt haemorrhagia narium, fluxus menstruus, haemorrhoidalis, & lochialis in puerperis, sed quatenus neque excēdentes, neque nimis parce fluentes.

§. XVII.

Vt vero de eorum, quae superius diximus, veritate eo luculentius constet: iuuabit hoc loco obseruationes quasdam in medium proferre. *Supprefsum*

pressum sanguinis per nares profluum, deliria post
se traxisse, obseruauit GABELCHOVERVS Cent.
III. Obs. 133. SCHENCKIVS in Obs. fol. 135. propo-
nit calus maniae, ex suppressione mensium. HEVR-
NIVS in Commentar. in Aphorism. HIPPOCRA-
TIS pag. 187. maniam a suppressis mensibus obor-
tam esse euincit. Deliriorum originem ex mensi-
um suppressione & retentione ab aliis obseruatam
fuisse, plurimorum auctorum scripta abunde te-
stantur. Conf. BORELLVS Cent. II. Obs. 30. FO-
RESTVS Lib. XXVIII. Obs. 3. in Schol. Lib. X.
Obs. 28. BARTHOLINVS in Act. Haffnienibus
Volum. IV. Obs. 95. MORONVS in Direct. medic.
pract. Edit. Lugdunens. pag. 233. & 247. Epheme-
rid. Natur. Cur. Decur. I. Ann. IX. & X. Obseru. 58.
Ex lochiis suppressis phrenitidem subnatam fuisse
docet HORSTIVS Lib. II. Obs. 25. Tandem etiam
delirium in puerpera, non bene post partum purga-
ta, productum fuisse testatur PLATERVS Obseruat.
Lib. I.

§. XVIII.

Saepe etiam pariter maniam vel melancho-
liam, immo deliria quoque acuta ab haemorrhagiis
prodeuntibus dispulsa fuisse commonstravit expe-
rientialia, ita vt in re adeo nota superuacaneum es-
se videatur, Auctorum testimonia, quae memo-
riiae consignata reliquerunt, allegare. Et facile
patet

patet ratio haemorrhagiarum ad mitiganda deliria valentium, dum horum caussa proxima hac ratione imminuitur, prout in §. XII. vberius demonstrare adlaborauit. Vnde insimul facile quoque eluescere poterit, quare aliae ibidem mutationes, in corporibus melancholicorum hoc modo subortae, vt inde sanguis ad alia corporis nostri loca deriuetur, & beneficio huius deriuationis distensio vasorum in encephalo imminuat, eundem effectum salutarem, quam ipsae haemorrhagiae, praestent. Quorsum referri possunt varices in cruribus; ulcera eodem loco suborta; exanthemata scabiosa; diarrhoeae: vtpote in quibus casibus insaniam dissipatam fuisse obseruata edocuerunt. Videatur *Illustris b. m. HOFFMANNVS loc. cit. Tom. IV. Cap. I.*

§. XIX.

Ex dictis huc usque adparet, quid therapeutam in deliriorum facutia mitiganda agere oporteat. Curandum scilicet erit, vt vasorum in encephalo distensiones imminuantur. Qua de caussa eo omne studium illius erit conuertendum, vt pro ratione subiectorum haemorrhagiae naturales restituantur; vel si pro harum restitutione nimis grauia adforent impedimenta, tunc venaectione instituta sanguis erit subtrahendus, vt inde liberius & magis aequalis motus progressiuus eiusdem

dem adiuetur. Porro etiam aliae mutationes
in corpore aegroti suscipiantur, quarum admini-
culo sanguis a capite ad inferiora magis inuitatur,
vt vesicatoria ad suras adipicanda, purgantia ex-
hibenda, & id genus alia. Quibus de reliquo
cautionibus in mitigandis deliriis opus sit, id ex
principiis therapevticis ad casus obuios transfe-
rendum est: namque ista pars medicinae practi-
cae ad sanitatis amissae restitutionem vitaeque
conseruationem tendit, tanquam
ad sui vltimum

F I N E M.



Monsieur & très cher Ami,

Quoiqu'il n'y ait que fort peu de tems, que j'aie eu l'honneur de faire Votre connoissance & d'être regu au nombre de Vos amis, j'ose cependant Vous assurer, que je ne laisse pas d'avoir pris autant d'estime & d'amitié pour Vous, que ceux qui ont eus le bonheur de jouir depuis longtems de Votre conversation, & d'être Vos familiers. L'honneur que Vous m'avez bien voulu faire en me choississant pour Votre Opposant le jour que Vous recevrez les honneurs du Doctorat, que Vous avez si bien meritées, me semble donner un droit de croire, que Vous ne me croyez pas indigne d'être de Vos amis. C'est dans cette flatteuse idée que je veux Vous témoigner combien je prens de part à Votre fortune. Je souhaite de tout mon coeur, Monsieur, que Galien, sous les étendarts duquel Vous avez servi avec tant d'honneur, Vous fasse trouver une bonne récompense. Vivez, cher Ami, & fleurissez pour le bien de Votre chere Patrie, pour la joie de Votre famille, pour le salut des malades qui se confieront à Vos soins, & pour ne jamais oublier celui, qui désire d'être toute sa vie avec beaucoup d'estime & sans reserve,

Monsieur, & très cher Ami,

Halle ce 14 Avril 1756.

Votre très humble serviteur
MATTHIEN KNECHT,
Candidat en Medicine de Berne
en Suisse, Opposant.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
AVCTORI
AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS HAUGK,
LIPSiens. OPPONENS.

*Quum per triennium, & quod excurrit, CANDIDA-
TE DOCTISSIME, sinceritatem TVAM singula-
remque amicitiam erga me probe intellexerim & adhuc
perspiciam, adeo ut mibi sinistri quidquam de mutato
animo TVO persuadere nequeam: non possum non spera-
re, talem TE futurum, qualem cognitum antea iudica-
ui. Quae cum ita sint, meum esse duxi, TE, cathedram
conscensurum, amantissimis prosequi & concomitari votis,
cui quidem officio non tam moris ac confuetudinis, quam
potius sinceri amoris causa, vaco. Laudabiliter sane &
praeclare a TE actum est, CANDIDATE DOCTISSI-
ME, quod materiam accuratori euolutione dignam ele-
geris, nec tritam, nec vulgarem, sed potius talem, quae
sua, in foro medico, egregie se commendat utilitate.
Nibil ergo amplius supereffe arbitror, quam ut TIBI gra-
tuler, AMICE DILECTISSIME, de eximiis in arte
medica acquisitis profectibus: gratulor TIBI de exoptato
& felici studiorum exitu; gratulor denique TIBI ex ani-
mo de Gradu Doctorali, quem nunc impetras. Summum
Numen seruet TE saluum & incolumem, ut & auxilio &
solatio sis aegrotis, & cum onni voluptatis genere aetate
procedas. Vale & me amicitia ac amore TVO ulterius com-
plecti nunquam define. Halae d. XIV. April. cloccclvi.*

Iam


Iam duodena quater penitus sua signa serenus
I Lustravit Titan; quater arva colonus aristis
Pinguia nudavit gravidis: ut foedus amicum
Pectora nostra statim mutuo coniunxit amore
Qui tardos aliis annos, nimiumque molestas
Praecipites totidem nobis mutavit in horas.
Foedus amicitiae iam spernis? En absit! amica
Quo tva fata iubent sequeris, laurisque coruscus
Digna tvs studiis exspectas praemia, tristis
Te vocat aegrotus. Propera! Discede secundo
Sidere, fida comes tibi sit fortuna; sed absens
Vive mei memor, atque simul me dilige semper.

Illa TIBI appreccatur

AMICE SVAVISSIME!

Haec sibi exoptat

IO. AVGUSTVS LIEBMANN,
Halensis, Opponens.



00 A 6281

ULB Halle
002 828 12X

3



50

Ratho ✓

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



NAVGVRALIS MEDICA
DE
**BRITATE RHAGIARVM
ANDIS DELIRIIS**

QVAM
VMINIS AVSPICIIIS

ET
ORVM ORDINIS CONSENSV
AES IDE
ENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

ELIA BVCHNERO

NI IMPERII NOBILI,
AE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
E PALAT. CAESAREO,
ET PHILOSOPH. H. T. DECANO,

DV DOCTORIS

NA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
MODO IMPETRANDIS,
PRIL. A. S. R. CLOCCCLVI.

GIA FRIDERICIANA

ICE DEFENDET

AVCTOR

SIMON SCHAAF
LEBIENSIS.

RG. LITTERIS HENDELIANIS.